

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

M.A. Level Medieval Latin Examination

11 April 2005

Translate ALL FOUR passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is NOT permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.

1. Reverence shown to Glastonbury Abbey (John of Glastonbury)

In tanta nempe reuerencia habuerunt sancti patres nostri iam dictum locum quod non audebant in dicta ecclesia aut cimiterio aliqua uana loqui nec fluma uel saliuam in illam terram sanctam expuere uel proiciere nisi in magna necessitate cum magna compunccione. Nec audebant aliquem huius ecclesie inimicum aut aliquem enormem peccatorem notorium in dicto sacro cimiterio sepelire propter uoces horribiles que sepe ab eis audiebantur et fantasmata malignorum spirituum que videbantur donec effoderentur atque de cimiterio proicerentur. Multi eciam huius loci monachi propter irreuerenciam huic sacro loco factam iusto Dei iudicio sepulturam inibi perdiderunt. Nullus illic auem uenatoriam aduexit uel quadrupedes induxit qui sui uel rei possessè indempnis abierit. Nam, tempore regis Edgari, quidam comes nomine Arnulphus accipitrem in eodem tulit, qui statim, de eius manu elapsus, expirauit. Cocus quidam abbatis Hetelwini equum suum in sanctum cimiterium casu nescienter induxit et continuo exalauit.

2. The emperor Henry IV appeals for help.

H. dei gratia Romanorum imperator augustus O. Babenbergensi episcopo, suo dilecto et certo fideli, gratiam et omne bonum.

Scias igitur, quod nos usque Wirzeburc venimus cum multis militibus et adhuc ibidem plures expectamus, cupientes cum dei virtute inimicos nostros invadere et castrum nostrum Nurenberc, quod obsident, liberare. Quapropter tibi sicut optimo fideli rogando mandamus, ut ad nos venire festines cum omnibus quos habere poteris, sicut tibi confidimus.

Insuper etiam diligenter te rogamus, ut in presenti nostram consideres necessitatem et A., qui nobis est necessarius, concedas beneficium quod a te postulat, animadvertens quod modo nos presens periculum compellit multis supplicare et eorum voluntatem faciendo ipsos in nostra fidelitate confirmare. Et hac ratione constrictos de his et de aliis multis oportet nos te rogare aliter quam vellemus. Sed nos deo volente, si prosperitas advenerit, te et ecclesiam tuam, sicut dignum est, respiciemus. De hac re fac, secundum quod tibi dicet N. ex nostri parte.

3. Which writings are acceptable as "divine"? (Hugh of St. Victor)

Scripturae quae vel de Deo sive de bonis invisibilibus loquuntur, nec omnes nec solae divinae appellandae sunt. In libris gentilium multa de aeternitate Dei et animarum immortalitate, de virtutum praemiis sempiternis poenisque malorum satis probabili ratione scripta invenimus, quos tali vocabulo indignos esse nemo dubitat. Rursus Veteris et Novi Testamenti seriem percurrentes, totam paene de praesentis vitae statu et rebus in tempore gestis contextam cernimus, raro aliqua de dulcedine aeternorum bonorum et caelestis vitae gaudiis manifeste deprimi. Tamen has scripturas divinas appellare fides catholica solet. Divina eloquia aptissime favo comparantur, quae et propter simplicitatem sermonis arida apparent, et intus dulcedine plena sunt. Unde constat quia merito tale vocabulum sortita sunt, quae sola sic a falsitatis contagione aliena inveniuntur, ut nihil veritati contrarium continere probentur. Scripturae divinae sunt quas, a catholicae fidei cultoribus editas, auctoritas universalis ecclesiae ad eiusdem fidei corroborationem in numero divinorum librorum computandas recepit et legendas retinuit.

4. The names of the Roman emperors (Isidore)

Imperatorum autem nomen apud Romanos eorum tantum prius fuit apud quos summa rei militaris consisteret, et ideo imperatores dicti ab imperando exercitui. Sed dum diu duces titulis imperatoriis fungerentur, senatus censuit ut Augusti Caesaris hoc tantum nomen esset, eoque is distingueretur a ceteris gentium regibus; quod et sequentes Caesares hactenus usurpaverunt. Solet enim fieri ut primi regis nomen etiam reliqui possideant, sicut apud Albanos ex Silvii nomine omnes reges Albanorum Silvii appellati sunt ... Augustus ideo apud Romanos nomen imperii est, eo quod olim augeret rempublicam amplificando. Quod nomen primitus senatus Octavio Caesari tradidit, ut quia auxerat terras, ipso nomine et titulo consecraretur. Dum autem idem Octavius iam Caesar et imperator appellaretur ... et pronuntiatum esset illi a populo ut vocaretur et Dominus, statim manu vultuque averso indecoras adulationes repressit et Domini appellationem ut homo declinavit, atque insequenti die omnem populum gravissimo edicto corripuit, Dominumque se post haec appellari ne a liberis quidem suis permisit.